

1559 Patrum Collegio convocato, ingenti animi mœrore, summa iracundia intermixta in nepotes invehitur; *immunem se ab eorum criminibus; quæ perperam gesta sint, non sibi tribui debere.* Quid enim faceret intra palatii parietes inclusus, ad quem nihil, nisi per alios perveniret? Daturum se operam, ut aliorum errata optimo, atque egregio ipsius in rem publicam christianam animo corrigantur. Mox quibusdam vestigalibus, quæ se inscio indicta ajebat, sublatis, urbis custodiæ Camillum Ursinum præfecit; cui paucos post dies defuncto, Joannem Antonium Ursinum, Gravinæ Ducis fratrem, suffecit. Viginti Cardinalium, ac quadraginta Curiæ ministrorum collegium instituit, a quo secum pontificiæ ditionis causæ cognoscerentur; edicto promulgato, ut iis, qui ob magistratum avaritiam, ac fôrdes rerum suarum jacturam fecissent, tutus ad eum aditus foret; se ex æquo jus illis administraturum.

Is licet domesticorum curis, atque urbis, ecclesiasticarumque ditionum tuendarum solitudinibus distentus, assiduis tamen in religionis quæstionibus cognoscendis, atque hæreseos labœ vel infectis, vel suspectis coercendis, atque exterminandis erat. Episcopos, ut ad sibi creditas ecclesias regendas, urbe relicta, proficerentur, quæ res ea tempestate durior plerisque videbatur, compulit. In cooptandis vero Episcopis solers adeo, atque acerrimus perscrutator erat, ut cum vix unquam sibi satisfaceret, ambigua cunctatione menses, atque annos tereret. Id in nonnullis Venetorum civitatibus contigit. Nam ob Durantis Cardinalis, Brixiae Antistitis, obitum multis Senatus precibus fatigatus post annum Dominicum Bolanum, Equitem, Francisci filium, illius tunc præturam civitatis gerentem, Episcopum declaravit; quem grave onus detrectantem ad eam provinciam alacri suscipiendam animo per litteras est cohortatus: præceptis obtemperaret, divino nutui acquiesceret, colla cælesti jugo subderet, per amplam ecclesiam regendam spe divini Numinis fretus susciperet. Illum prætura, publicisque muneribus abdicatum Senatus Brixensium precibus ductus, insueto exemplo definiendis amnis Ollii controversiis cum Angusola Senatore interesse voluit; rebusque ex Patrum sententia compositis, Brixiam reversus sacris iniciatus est.

*Paulus
Pont. Epis-
copos ad ec-
clesias regen-
das profici-
sci imperat.*

*Dominicus
Bolanus
Brixiae Epi-
scopus de-
claratus.*

*Brixiensis
& Cremonensis de
Olio amne
controversie a Bola-
no & An-
gusola com-
positæ.*

Rem